

Bibliothèque numérique

medic@

Gauthier, Hugues - candidat /
Macquer, Pierre-Joseph - président. -
An in Hydrope, punctio
quamplurimùm infausta,
scarificationes periculosae ?

1762.

***Paris : Typis Viduae Quillau,
Universitatis & Facultatis Med.***

Typographi

Cote : ms 2335 n°28



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax14x0028

131 28.
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesima-tertiâ
mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LXII.*

M. PETRO-JOSEPHO MACQUER,

Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, & Censore

Regio, Doctore Medico, Præsidente.

An in Hydrope, punctio quamplurimum infausta, scarificationes periculosa?

I.



UMORIS seroso-lymphatici intra corporis cava, vel cellulares corporis adiposi mæandros, exundatio, communi Hydropis nomine solet designari. Hujus morbi species variæ & multiplices quæ pro sede mali diversa sortiuntur nomina. Hæ omnes tamen ad duo genera facili negotio possunt reduci; vel enim in textu celluloso totam corporis peripheriam, imò & singulas ejus partes & particulas investiente, stagnat serum devians, undè tumor ubiquè albus, mollis, digiti prementis vestigium retinens, qui, si partes tantum inferiores seu infra umbilicum positas affecerit, anazarca, si superiores simul leucophlegmatia, si hanc vel illam partem maximè pedum manuum-ve extrema, ædema audit: vel 2^o. in corporis cavitate speciali congeritur serosa colluvies, estque ascites, hydrocephalon, hydrocele aut hydrops pectoris; huic tertia quasi species additur ex naturâ suâ, ubi scilicet quasi in utre continetur aqua exsuperans, undè saccatus hydrops dicitur. Quæ omnes quasi generis unius varietates, reipsâ inter se non differunt cum naturam, causas efficientes, effectus saltem primarios communes habeant. Huic ergò, si curare citò & tutò volueris, accommodetur medendi modus, qui ipsam morbi essentiam aggrediatur, causas destruat, symptomata sedet, donec evanescant omnino; aut saltè, si fortè curantis industriam, vimque curationis eluserit ferox morbi indoles, levet si curare non datur; non autem malum malo addat, ut fit in Hydropis speciebus, ubi pro unicâ curatione operatio, pro levamine scarificationes, intactâ remanente morbi naturâ, proponuntur; undè novus sæpè priori peior creatur morbus, vel saltem brevè redit eadem morbi facies gravioribus quàm antea symptomatibus stipata, & quasi circumvallata.

II.

CACHEXIA, quasi à causâ solâ & primariâ oriri omnes Hydropis species; quis Practicorum negaverit? Per cachexiam autem eum corporis statum intellige quo sanguinis pars fibrosa crassior, serosa redundans, solidorum compages laxior facta, nullus jam datur locus sanguini boni moris. Ex triplici substantiâ sanguinem

componi Lippis Tonforibusque notum est, fibrosâ nempè ferosâ & rubrâ; harum debitâ proportionem, combinationem, viscerum vasorumque robore & actione compingitur, densatur rubrum quodam homogeneous liquidum quod in quo nil eminet, nil redundat; primum omnis œconomix animalis momentum, benigno suo rore omnia reficit, roborat, omnibus secretionibus, functionibus providet. Hæc quandiu vigent, tandiu viget vitæ incolumitas; quæ ubi in uno deficit, tunc, quasi rea illicò omnium facta, sanitatem corrui, functiones labefactari, perturbari, vitam ipsam destrui, perire necesse est. Pars fibrosa serosæ & rubræ vinciendis destinata, ubi crassitie peccat, jam nullius fit usus, morbosæ spissitudini, obstructionibus omnis generis, locum dat, sicque ponitur causa Hydropis antecedens, remota & frequentissima. Pars serosa quæ octuplici aut novenâ quantitate cæteras sanguinis partes in statu naturali superat; tunc sui juris facta, fractoque omni obice undèquaque exundat, omnia immergit, solida imbuat, & si fortè excretioni locus præcludatur, intrâ cellulas textûs adiposi vel cava corporis stagnat; hinc Hydrops, hinc species, hinc causæ procathartica, feri nempè redundantia, solidorumque atonia. Rubra inter hæc sanguinis portio in serosum spontè defluit liquamen nec renovari potest; hinc Hydrops in ultimo gradu & nullâ arte curabilis. Hanc - ce theoriam confirmant & causæ ab Authoribus ad Hydropem procreandam recensitæ & effectus Cachexiæ quæ in Hydrope subsequente persistunt, & morâ ingravescunt; quæ causæ nunquam ex se & in omni casu Hydropem ponunt, sed tantum successu temporis, producto nempè in sanguine hoc mixtionis defectu seu Cachexiâ de quâ dicimus. Hæ causæ sunt Hemorrhagiæ subitæ & immodicæ, à morbo atonia superstes, glandularum conglobatarum Lienis, Uteri, & maximè Hepatis obstructiones. Cachexiam sequuntur & demonstrant, ad minimum motum, anhelosa respiratio, anxietas, cordis palpitatio, digestionis omnis prostratio, virium exsolutio, corporis habitus pallidus, subcroceus, viridis, in palpebris, vultu manè œdema, vespere in extremis, &c. Quid, quæso, novi advenit vel in causâ vel in symptomate Cachexiæ, natâ Hydrope; nihil omnino. Deficiente Medicinâ in principiis nempè in Cachexiâ, per longas invalescunt moras causæ, effectus; fitque Hydrops difficile curabilis, undè Cachexia quasi Hydropis rudimentum, Hydrops quasi Cachexiæ complementum, habendæ sunt. In hac efformandâ sæpè causa fit effectus & in altero casu effectus fit causa, undè, posito tali morbo, ne curiosius inquiras quis effectus, quæ causa, sed quæ morbi præsentis indoles, undè curatoris indicationes erui debent, tunc enim sæpè sæpius fit circulus quasi vitiosus in quo nec principium curandi invenitur nec finis; sed ubiquè confusio, ubiquè ambages.

III.

HIS stabilitis circâ genuinam Hydropis naturam, causas & effectus; quid, precor, jam levaminis, quid medelæ à Chirurgiâ expectandum; quid potius non timendum ab auxilio quo nec curatur morbus, nec curari potest, aut si levatur fortè, tantum ad horam, ad momentum; quo causæ morbi non tolluntur, nec attinguntur quidem, imò intenduntur: effectus primarii vires acquirunt eundo, secundariis ad majus prospicitur, cæteris omnibus in deterius versis. Enim verò ad crepaturam usque distendatur Abdomen, extrema; fit difficilis, laboriosa, anhelosa respiratio, urina pauca crassa, lateritia: esto, pungatur Abdomen, dilacerentur extrema, detumescit venter fortè, deplentur crura, minuitur quandoque respirationis difficultas; at non tollitur imò à virium sæpè defectu majori deficit æger illicò, ferè extinguitur; urinæ non major quantitas, sed sæpè minor & spissior: vitiato tunc, à prægressâ distentione, sero minima fibrarum stamina imbuente, partium tono, patentiores fiunt tunicarum pori, ab omni parte superstes in sanguine lymphæ depluit; vehiculo defraudatur purpureus latex, qui ipse in serum nisi solvatur, hæret ubiquè,

undè inflammationes vel gangrenæ, mors, vel saltem citò; peractis punctiōne aut scarificationibus, redit prima morbi atrocità, aquosusque tumor cum spirandi difficultate majori, febriculâ, siti urenti, tussi molestâ; gravius læduntur viscera, vires concidunt, contingitque labes quæ Medicinam nescit: sic operatione rectè, si volueris, peractâ loco & tempore, mors, quasi morbo ipso frænata, soluto fræno accelerat gradum & extinguitur æger qui diutius servari potuisset. Adde circâ scarificationes, quod languentibus solidis, adiposo corpore jam laxo, flaccescente, madidiori tegmentorum textili, cruore vitali, à corde longius dissito, ad tibias segnius propulso, nervis spirituofo succo orbatis, vulnerata tunc cutis udior cicatrici repugnat, manans serum acorem contrahit, undè inflammatio, gangræna, splacelus, vel saltem hydatides, abscessus serofi, ulcera cacoæthea, quibus serius otius tolluntur miseri. Hinc, Divinus Senex*, *Hydropicis ulcera in corpore orta, difficiliter sanantur: frustra enim, addit Lori, in hunc locum, ab humorum compage solutâ penitus, & corruptâ bonum pus speravimus: frustra à fractis solidorum & stomachi viribus chylus benè subactus & indè sanguis bonus; quod tamen ad ulcerum medelam necessarium absolute esse nemo diffiteri audeat.*

* Sect. VI.
Aphor. 8.

I V.

NIL tale à Pharmaciâ timueris, sola ferè naturam morbi aggredi, immutare potest; sola sublevare valet tutò, si curare fortè non licet. Huic non unica agendi via, sæpè per diuresim, catharism, & quandòque per hydrosim, ruptis carceribus, pandit iter serum stagnans. Prima omnium tutior, citior, & jucundior, proindèque anteponenda, hâc deficiente, catharsis, & tandem, si eo ducat natura, in usum vocanda hydrosis. Sæpè glutinoso spontaneo viscerum parietes infarciēte resorptioni, urinarum spissiorum effluxui, via præcluditur; ab attenuantibus ergò incidentibus auspicare, iis debito tempore insilite; cave ne à remedio ad remedium, incertus vagusque erres, magno ægri detrimento; ut non lædat, sufficit primò, sæpè enim, quod inutile medicamen visum est, ægro fuit saluti; sic enim per plures dies & etiam septimanas his indulgens fidus æger, Medicus sagax & prudens, referatis hisce remediis, glandularum ergastulis, tenuatis urinis, facilius & copiosius per renes derivatur serum, aut saltem minori damno & tædio, sublato glutinoso spontaneo in primis viis hærente, resorbetur per minima vasorum oscula, vel tandem purgantibus hydragogis & sæpè levioribus erumpit aquosum flumen. Vide ergò cautè ne à fortioribus initium sumas, non rarò levi & non irritanti Pharmaco concedit natura, quod mochlico denegat: per gradus ad fortiora, si necesse, deveniendum est. Horum sapienter adhibitorum si vim eluserit morbus; diætâ benè moratâ, paucis Pharmacis liceat vivere, qui curari non potest. Vetant Authores, & id quidem prudentissimè, ne paracenthesis, scarificationes instituantur, ubi adest in visceribus inveterata obstructio, squirrus immedicabilis, ulcus, scorbutus, siphilis, scrophulæ; ubi ab atoniâ, inædiâ, hæmorrhagiâ, diuturniori ægritudine, fatiscit æger; non in homine sene, non confractis viribus. Quis, precor, ab iis omninò immunis: quis ergò nunc operationi Chirurgicæ locus? Nùm in juvene vegeto, robusto, cui nulla labes, nec nativa nec adventitia, cui omnes functiones, vitales animales & naturales, liberè, perfectè perficiuntur; at huic nec morbus, aut si quis fortè hujusmodi per se curatur, aut facili negotio Pharmaceuticis auxiliis, si opus fuerit, sanabitur.

V.

AT, inquires, satius est anceps quàm nullum experiri remedium: sæpè institutâ operatione, posse ita fibris tonum restitui functiones, secretiones reintegrari, ut via, famulante Chirurgiâ, aquis eductis sternatur Medicinæ: Serum stagnans morâ posse corrumpi, viscera affici, vires pessumdari, undè pro solâ spe dolor & labor, pro solo levamine mors relinquitur. Anceps esto, satius est expe-

riri remedium quàm nullum; at operatio in tali morbo non anceps tantùm sed periculosa, si fortè unum suprà centum exceperis; quotidiana probat experientia nullos curatos unquam fuisse, plures, imò ferè omnes, pejus se habuisse, maximè à scarificationibus, & licèt se curatos putarent brevè & subitò oppressit incauta mors. Occumbet quidem æger, sed ex naturâ morbi, ex necessitate naturæ, non ad Artis saluberrimæ opprobrium, non Medici jussu, non Chirurgi manu. Effusis aquis, functiones, secretiones, vires redintegrari possint quidem, si nulla labes subesset, nec in sanguine nec in ipsâ partium substantiâ. Porro quid tale emendare non Artis Chirurgicæ à Medicinâ vel oculatissimâ moderatæ est, nec humanæ cujuscumque virtutis: non vanus te ludat error, posse humorem inclusum corrumpi; non nisi mediante aëre quid tale accidere potest, securus esto; aut si corrumpitur, id sit morbi naturâ, undè nec providebit huic noxæ operatio, cùm è contrâ naturæ corruenti vires insidiosas & perniciosas præstare tantùm potest: undè quid vetat quin concludamus.

Ergò in Hydrope, punctio quamplurimum infausta, periculosa scarificationes.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Descemet, Chirurgia Gallico idiomate Professor designatus.

M. Cleriadus Vachier.

M. Paulus - Jacobus Malouin, Medicus Regiæ ordinarius, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius, necnon Regius Chymicorum librorum Censor.

M. Joannes-Baptista-Franciscus de la Riviere, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castellio.

M. Petrus-Josephus Morisot des Landes.

M. Joannes Baptista Boyer, Ex-Decanus & Academiæ Censor, Regii Ordinis Eques, Regis Consiliarius Medicus in supremo Senatu ac in generali Prefectura Parisiensi, Militarium Regis Nosocomiorum inspector, Censor Regius, Regiæ Societatis Londinensis Socius, & Regii Medicorum Collegii Nancienorum Socius honorarius.

M. Guido Daniè Despaturreaux, Anatomes & artis obstetriciæ in gratiam Matronarum Professor.

M. Joannes-Ludovicus-Maria Solier, Scholarum Professor designatus.

M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Consilii & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator.

Proponebat Parisiis HUGO GAUTHIER, Riciacus Lingonensis, Doctor Medicus Monspeliensis, nec non Saluberrimæ Parisiensis Facultatis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1762, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi. 1762.